

nunquam tamen non invenit amor, quod scribat,<sup>f</sup> qui omnium Deorum disertiss.  
 & facundissimus est. Peto autem abs te, ut quid de Werderi isto opere censeas,  
 ad me quamprimum velis perscribere. De Poesi ego ita sentio, illustrem prorsus,  
 atque eximiam esse, & paria posse facere cum Epica Græcorum Latinorumque,  
 quorum vineta insigniter cœdit.<sup>5</sup> Translationem verò multò & operosiorum  
 Hubnerianâ Bartabii<sup>6</sup> & meliorem judico: quamquam<sup>g</sup> Italica nondum licuit cum  
 nostris conferre. Sunt tamen non pauca, quæ peccavit ibi Nobilissimus Vir: &  
 quæ potissimum partem nunc ipse videtur agnoscere. Quoties enim articulum  
 neutrius nominibus fr̄mininis addidit? Quoties singulari numero loco pluralis,  
 recto casu pro obliquis usus est? Atque ad istam faciem plura alia sibi indulget,  
 in id tantum, ut versus possit constare. Quæ<sup>h</sup> si licita nobis<sup>i</sup> & permis̄a arbitratur,  
 n̄e soli omnium Germani sumus, quibus impunè solæcismos<sup>j</sup> liceat fa-  
 cere. Quod tamen negat et<sup>k</sup> ad ravim usque pernegat, Priscianus<sup>k8</sup>, Vir Ornati-  
 tissimus, cuius ego iudicio, in<sup>l</sup> talibus certe plurimum soleo [43v] deferre. In  
 terminationibus versuum Gallorum rationem sequutus<sup>m</sup> videtur potius, quam  
 tua præcepta,<sup>9</sup> quæ profecto extra omnem controversiæ aleam posita sunt.<sup>10</sup>  
 Sed et in ipsa dictione aliquando minus placet,<sup>n</sup> ut quum vel<sup>o</sup> obsoletis<sup>p</sup> &  
 inusitatis vocabulis, vel sordidis, & vulgo tantum tritis utitur. Verū hæc non  
 nisi illis nota sunt, quos Musæ intra velum docuerunt. Quicquid tamen sit  
 multum<sup>q</sup> profecto amo, & æstimo virum illum ob hanc navatam nobis operam:  
 & plura fortassis emendabit, si iterare editionem contigerit.<sup>11</sup> Neque enim suis  
 opinionibus ita hæret, ut aliorum sententias prorsus negligat. Quin libenter  
 præbere aurem solet, qui recta monent. Et verò non amo tantum<sup>r</sup> illum<sup>s</sup>, sed &  
 multa mihi de eo polliceor. Est enim<sup>t</sup> nobile et excellens in ipso ingenium,  
 quodque vel maximum Poetam nobis posset promittere, si ad Græcorum &  
 Latinorum prudentiam melius eset eruditum. Testatur apospasmation illud car-  
 minis de Christi magnificentia quod in prefatione ad Lectorem dedit;<sup>12</sup> quod<sup>u</sup>  
 naturā valeat. De itinere tuo Dacico,<sup>13</sup> iterum<sup>v</sup> te moneo ut<sup>w</sup> cautè illud susci-  
 piás, et cum accuratissima curā tuæ salutis. Nam ut tu parum cures quid<sup>x</sup> de te  
 futurum sit: cogitare tamen debes et<sup>y</sup> sedulò tecum expendere, quid de te patria  
 communis sibi exspectet. Cujus certe maximè interest te<sup>z</sup> quam diutissimè su-  
 pereſſe. Profectò ego pro te omnia etiam [44r] tuta timeo. Nam, ut nosti,  
 maximo amori maximus<sup>aa</sup> semper metus junctus est. Itaque te per quicquid  
 sanctum tibi ac charum est, oro, quæsoque ut<sup>bb</sup> tui rationem habeas, et maneas  
 potius, si quid timendum fuerit, quam incertis periculorum te committas. Pereat  
 omnis Dacia<sup>cc</sup>, modo Opitius noster nobis supereret. Hæc ad te frater nunc<sup>dd</sup>  
 scribere placuit, quæ boni consules. Nam & parū polita sunt, & citra omnem  
 curam illita potius chartæ quām<sup>ee</sup> inscripta. Ego hoc unum adhuc te<sup>ff</sup> rogo, ut  
 sive<sup>gg</sup> eas in Daciam, sive domi tuae maneas, Buchnerum tuum constanter pergas  
 amare<sup>hh</sup>. Raptim Wittebergæ<sup>ii</sup> ad d. 17. Junij An. 1626.

Ampliss. & Clariss Viris DDnn. Kirchnero<sup>jj</sup> & Nuslero<sup>kk</sup> adscribo salutem.  
 Sed heus sodes de Belgicis Heinsij memor esto<sup>16</sup>  
 T. A. BUCHNER<sup>ll</sup>